For George Lewis Scott Esqr
from his most humble Servt
The Author

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.

22

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE HEPATITIDE.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et Nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE decreto

Pro GRADU DOCTORATUS;

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT,

MARCUS SMYTH, Scotus.

Ad diem Jany 25 hora locoque ſolitis.

Homines ad deos nulla re propius accedunt, quam ſalutem hominibus dando. Cicero.

EDINBURGI:

Apud A. Donaldson.

MDCCLXV.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30787385

JOANNI PRINGLE, M. D.

VIRO EXCELLENTISSIMO,

REGINAE BRITANNIAE MEDICO ORDINARIO,

COLLEGII UTRIUSQUE LONDINENSIS ET EDINENSIS

SOCIO DIGNISSIMO,

SOCIETATIS REGIAE FRATRI ORNATISSIMO,

ARTIS OPIFERAE DECORI ET ORNAMENTO,

CUJUS INDUSTRIA LITERAE ET INGENIUM

PUBLICE CELEBRANTUR ATQUE LAUDANTUR;

HOS SUORUM STUDIORUM PRIMOS LABORES,

SACROS VOLUIT

MARCUS SMYTH.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.

NULLUS error gravior eſt quam morborum initia negligere. Qui, etiamſi leviores et ſanatu faciliores incipientes fuerint; poſtmodo incuria ſuccreſcunt, vires eundo acquirunt, et, ut noxia herba per agros paulatim ſerpens omnes obducit, ita illi invaleſcentes plurimis malis propriis et alienis, poſtremo ipſa ſaepe morte corpora afficiunt. Quocirca illud poëtae,

Obſta principiis; ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras,

nullius quemlibet morbum curaturi animo elabi debet, et prae caeteris de Hepatitide at-

tendendum eſt. Haec in Septentrionalibus regionibus raro incidit. Sed quia rarius etiam animadvertitur, magiſque effectibus fuiſſe quam ſignis propriis eſſe cognoſcitur, et neglecta peſſimas turbas infert ; ſermonem inauguralem ſcripturus, paucis de ea differendum, putavi.

Nomina morbi.

Hic morbus ut plerique ; alia nomina ab aliis ſcriptoribus accepit ; a Galeno Ηπατιτις, a Sennerto inflammatio hepatis, febris typhodes a Foresto, appellatus eſt. Nos vero hepatitida, quod vocabulum maxime commune eſt, vocabimus.

Jecoris deſcriptio.

Prius vero quam de ipſo morbo initium dicendi faciam ; quoniam ejus ſedes jecur eſt, ut poſtmodo oſtendetur, haud abs re erit de hujus fabrica et natura pauca retuliſſe.

Jecur maxima totius corporis glandula protinus ſub ſepto tranſverſo ; maxima ex parte in hypochondrio dextro, partim in epigaſtrio, pone appendicem enſiformem, locatur. Idem, praeſertim in infantibus, ultra

ventriculum

ventriculum in hypochondrion ſiniſtrum tranſcurrit. Figura ejus admodum inaequalis eſt et explicatu difficilis. Ejuſdem dexterior et poſterior pars craſſiſſima, ſiniſterior multo tenuior; ſuperior tota gibbera, inferior inaequaliter cava eſt. Totum in duas impares magnitudine fibras ligamento ſuperne, inferne fiſſu dividitur. In cavo hepate varii proceſſus ſunt et receſſus, qui veſicae fellis variiſque vaſis magnis per id diſcurrentibus tutum receptaculum praebent. Ita lobulus Spigellianus una cum proceſſu contra reſpondente portarum venam; alter receſſus venam cavam recipiunt. Dein alius quaſi ſulcus, qui venam umbilicalem acceperat, conſpicitur. Anterius et juxta marginem jecoris veſica fellis ſita eſt: poſterius in ſinu quodam tergi ſpina et oeſophagus feruntur. Tria ligamenta ex duplicato peritonaeo conſtantia jecur ſepto tranſverſo adnectunt. Nec a membrana adipoſa idem disjungitur. Per peritonaei et meſocoli proceſſum cum aliis viſceribus committitur; ventriculi, renis dextri et pancreatis partem tegit. Idem adverſum colo praetenditur, averſum ſiniſtro reni reſpondet. Ipſum peritonaei proceſſu a ſepto tranſverſo progrediente tegitur.

Jecur magna vaſa et plurima recipit. Hic arteria hepatica coeliacae ramus fertur, ſanguinem ad jecur alendum portare credita. Nonne etiam, ut nuper conjici coepit, ad bilis ſecretionem eadem conferre poteſt? Hic quoque vena portarum diſcurrit, quae prae caeteris ad bilis ſecretionem facit, perque ramos ſuos, ventriculi, inteſtinorum, lienis, omenti et pancreatis venarum ſanguinem colligens, ſecernentis arteriae officio fungitur. Hujus venae imam in cavo jecore partem membrana adipoſa denſa cingens, Gliſonii capſulam format. Huic capſulae eadem vena innitens et ad jecur deducta, id in duos amplos ramos diducta, ac venis ciſticis prius receptis, penetrat. Horum deinde ramorum ſinguli iterum in alios, hi porro in alios in ipſo jecore arteriarum inſtar dividuntur, donec tandem in vaſa minutiſſima deſinant. Per totum hunc curſum ſingulos venae portarum ramos arteriae hepaticae ſinguli comitantur, biliferis, interveniente membrana adipoſa, ductibus adnexi. Extremi venae portarum et arteriae hepaticae ramuli in alterum venarum ordinem, quae cavae ſunt propagines, feruntur. In hujus poſtea truncum coeuntes

et

et ſepti tranſverſi foramine tranſeuntes, protinus in dextram cordis auriculam ſanguinem ſuum infundunt. Sed haec de ſolis dici puberibus memoria tenendum. Nervi jecoris a ſplanchnico, intercoſtalium et poſteriore octavi paris plexu proficiſcuntur. Plures quam majores ſunt. Quo ſit ut pars intima vel parenchymatoſa minus acutis ſenſibus praedita ſit. Vaſa lymphatica numeroſa in cavo jecore venam portae cingunt. Qualis interior jecoris textura ſit, quippe cujus admodum obſcura ſit natura, inter anatomicos nondum convenit. Ultimi venae portarum, cavae, arteriae hepaticae et ductuum biliferorum ramuli in certos acinos figurae ſex lateribus conſtantis convenire videntur. Atque in his bilis conficitur. Verum hoccine folliculorum actione, an ſimpliciore naturae opere fiat, cum maximi viri diſſentiant, non meum eſt litem dijudicare. Ductum biliferum rami ejuſdem coeuntes componunt. Hic variis tunicis conſtare dicitur, qui ulla ex parte muſculares ſint necne, in controverſia eſt. Eidem reſpondens ductus cyſticus fertur. Qui uterque in unum tandem conjuncti duodenum ita obliquo curſu penetrant ut

nulla

nulla retro ab inteſtino in ductum fiuendi fiat poteſtas. Veſica fellis et magnitudine et figura varians, niſi quod piri plerumque imaginem refert, in inferiore jecore ſita eſt. Pluribus haec quoque tunicis conſtat; quas ad rem noſtram vix attinet deſcribere. Haec veſica bilem ad inteſtina delatam non parare, ſed a ductu hepatico regurgitatam accipiens quodammodo mutare vulgo creditur.

Morbi Hiſtoria.

Celſi et Savageſii definitiones.

SI Hepatitis per ſigna externa definienda ſit, haec CELSI definitio haud inepta videbitur. Hepatitis "dextra "parte ſub praecordiis vehemens "dolor eſt, idemque ad latus dex"trum et ad jugulum humerumque ejuſ"dem lateris pervenit." Eadem SAVAGESIO "Phlegmaſia acuta eſſe" dicitur, "cu"jus praecipua ſymptomata ſunt tenſio do"lorifica hypochondrii dextri ſub coſtis ſpu"riis, cum ſenſu ardoris, gravitatis, dyſ"pnoea, tuſſi ſicca, faciei colore flaveſcente, "ſiti, anorexia, et ſaepius ſingultu et vomi"tu." Verum cum neutra haec dicta morbi naturam ſatis explicent, reſque vix ullam definitionem

deſinitionem recipiat, quae fuſius a nobis mox dicenda ſunt Hepatitidis naturam ſat explanatura ſperamus.

Hic morbus niſi cum actum jam de homine eſt, nunquam totum jecur, neque quamvis unam ſemper partem afficit. Quocirca, cum aliae ſpecies alias ſedes occupent, an morbus quoque pro hac varietate variet, quaerendum eſt.

Discrimina morbi. prout in venae portarum aut arteriae hepaticae finibus ſedeat.

Ut omnem inflammationem in minutiſſimis arteriis, ita hanc in extremis venae portarum vel arteriae hepaticae finibus ſedere, inter omnes convenit. Sed nullum ex ea re diſcrimen dari videtur: ſupra enim oſtendimus utriuſque vaſis propagines per eadem ſpatia conjuncto itinere diſcurrere, multum inter ſe implicari, communeſque fines, nec, ut veriſimillimum eſt, admodum diſſimiles uſus habere. Quamobrem alteras ſine alteris inflammari poſſe non credendum eſt.

prout in gibbera parte

Sed manifeſta diſcrimina ſunt, prout vel gibbera vel cava pars jecoris afficitur. Si praeter dolorem vehementem ad jugulum pervenientem, hypochon-

drii tumor tactu dolentior eſt, ſi tuſſis cum ſpiritum trahendi difficultate accedit, gibberam partem laborare certum eſt.

Hujus ſpeciei ſignorum ratio.

Tussis et ſpiritus trahendi labor, ex membrana gibberam jecoris partem tegente et ſepto tranſverſo hanc adnectente inflammata, et per communium nervorum conſenſum pulmones irritante, naſcuntur. Nonne, ut Van Swietenius ait, "cum hepar etiam accipiat arteriosos ramos ex diaphragmate et ex ligamento ſuſpenſorio per quod diaphragmati nectitur, ſaepe et illae partes vicinae inflammantur ſimiliter, et dolorem inter reſpirandum moto diaphragmate faciunt; qui tanquam ſignum diagnoſticum praecipuum inflammati hepatis in gibba parte a Galeno ponebatur?"

Prout in cava parte:

Contra cavum patitur, ubi nihil extrinſecus tumeſcit, nulla tuſſis, ſpirandi nulla moleſtia eſt, ubi cum nauſea et vomitu vel ſine hoc, ventriculus ſubvertitur, ſitis magna hominem urit et levior dolor ſentitur.

Nausea,

Nausea vomitus vel ventriculi ſubverſio ab inflammata hac parte contiguam ventriculi partem premente et irritante oritur. Sed et eaſdem affectiones cum ſiti vehemente, "turbata," ut Van Swietenius auctor eſt, "actio viſcerum chylopoeticorum, ob impeditum liberum tranſitum ſanguinis per extrema venae portarum," creare poteſt.

Hujus quoque ratio:

Porro morbus differt prout vel in membrana exteriore vel altius in interiore hepate ſedeat. Illa quia multo ſenſilior eſt, ſi inflammatur acutiorem dolorem; hoc minus ſenſile non tam dolorem quam anxietatem edit. In priore pulſus duriores ſunt, in poſteriore minus tenſi et febris quoque minor eſt.

prout in membrana vel ipſo jecore.

Sed hae duae ſpecies raro ſimplices apparent, longe ſaepius cum aliis conjunguntur, prior cum ea ſpecie quae in gibbera parte, poſterior cum ea quae in cava ſedet. Id quod dolor illius acutus, hujus lenior vel nullus et nihil extrinſecus tumens oſtendit.

Species ſaepius miſcentur.

Unius ſigni ratio quaeritur.

DOLORIS cauſa in promptu eſt. Nonne venae portarum fines impediti anxietatem faciunt?

Definitio Sauvageſiana refellitur.

UTRUM ad hepatitidem gibberae partis, an etiam ad quamvis ſpeciem provectam ſingultus referendus eſt? Ut ut hoc ſit, certe SAUVAGESIUS erravit qui etiam morbum definiens, ut ſupra docui, hanc affectionem notavit. Nam et rarius incidit et, ſi quando ſupervenit, malum eventum ſignificare xvii aphoriſmo ab HIPPOCRATE dicitur.

VOMITUS quoque non adeo frequens eſt ut ad definitionem pertineat, et praeter hoc a cavae partis inflammatione ortus toti morbo communis non eſt.

PORRO "dyſpneam ac tuſſim ſiccam" ad gibberae partis hepatitida pertinere ideoque a definitione eſſe aliena ſupra monſtratum eſt.

"SITIS et anorexia" ad eam ſpeciem quae in cavo jecore ſedet ſpectantia univerſo morbi generi pariter malè conveniunt. Poſtremo

Poſtremo "faciei color flaveſcens," quia et hepatitida provectam eſſe et icterum jam coepiſſe indicat, a definitione procul relegetur.

Alia quaedam ſigna ad proprias ſpecies relata.

OMNIBUS hepatitidis ſpeciebus febris plus minuſve communis eſt: quae utique, morbo in interiore jecore ſedente, minima aliquando nulla ſentitur. Inflammata cava parte, AMATUS LUSITANUS "aridam "et nigram linguam;" BIANCHIUS, "flammeam urinam" fuiſſe, et in aliquibus "maculam plane rubram totum dextrum hypochondrion occupaſſe teſtantur. Contra urinam aquoſam eſſe, et genas iis rubeſcere quibus gibbera pars inflammatur" SAUVAGESIUS vulgo obſervari dicit.

Aucta inflammatione morbus miſtus ſaevit.

Hoc ſe ordine omnia oſtendunt dum variae morbi ſpecies proprias ſibi ſedes occupant. Verum inflammatione cujuſvis loci ſuccreſcente et alios paulatim petente; diverſa ſigna inter ſe facile miſcentur; pro quorum numero et violentia morbus ſaevior redditur,

 longe

longe lateque ultra jecoris fines per conſenſum propogatur, alii morbi naſcuntur, et mors ultima rerum linea funeſtum ſaevientium turbarum haud raro claudit agmen.

Savegeſii in ſede morbi error.

CUM igitur hic morbus modo in membrana jecur tegente, modo in ipſo jecore, ſaepius in utroque ſedeat, haud leviter SAVAGESIUS erravit ad ſolum "parenchymatoſorum "ordinem eum referens."

Morbus differt

SEDIS propinquitas et nonnullarum affectionum ſimilitudo faciunt ut hepatitis a quibuſdam aliis morbis parum facile interdum internoſcatur. Ob quam cauſam pauca quibus certiora diſcrimina videantur notabo. Neque ab ordine quem hactenus ſecutus ſum decedam, ſed totum morbi genus in duas inſigniores ſpecies diductum tractabo; quarum cum altera communia quaedam cum his, altera cum illis vicinis malis habeat, proprias utrique notas conquirere conabor: atque a gibbera jecoris parte primum verba faciam.

A PLEURITIDE dextri lateris imam partem tenente, gibberae partis inflammatio dolore leviore et quaſi pungente interdum nullo diſtinguitur. Praeterea ſpiritus, qui in utraque aegre trahitur, in hepatitide facile; in pleuritide, difficile quoque emittitur. In illa tuſſis ſicca; in hac plerumque humidior eſt. Pleuritici, muſculis inter coſtas patientibus, ſepti tranſverſi potiſſimum ope ſpirant: contra jecoris gibbera parte inflammata atque hoc male habente, illi ſpiritum maximè adjuvant. Si inflammatio jecoris latius proceſſit, ob auctam hujus magnitudinem in neutrum latus; in pleuritide ſolum in aegrum decumbitur. Poſtremò in hac duriùs arteriae quam in illa pulſant.

a pleuritide.

HAEC hepatitidis ſpecies ab omnibus colicae nullo negotio diſcernitur. Nam ſi febris huic ſemper, illis interdum adhaerens minus certum diſcrimen dat; tuſſim et ſpiritûs aegritudinem quae ab omni colicae natura aliena, in hac affectione perpetua ſunt, certiſſimam notam praebere non eſt dubitandum. Poſtremo alvus colicorum compreſſa et perturbata aliud diſcrimen dat.

a colica.

PORRO

ab inflammatione muſculorum,

Porro pro hepatitide inflammatio muſculorum habita eſt, ut Valleriola, Bartholinus, Bonetus, et alii oſtendunt. Quia vero haec cum cavae partis hepatitide nihil commune habet et ſolius gibberae inflammationem immitatur, unam aut alteram notam monſtrabo quibus utriuſque mali diſcrimina manifeſtiora fiant. Utrique communia ſunt tumor, dolor et rubor: ſed inflammationem continentibus muſculis, haec omnia majora magiſque et tactu et conſpectu manifeſta ſunt. Sed duo propria ſunt huic muſculorum affectioni, ſcilicet pulſatio tumoris et ipſi muſculi omnem motum refugientes. Eadem autem ab altera inflammatione prorſus aliena claro diſcrimine hos morbos diſſepiunt.

a gaſtritide.

Jecori cavo et ventriculo inflammato nauſea communis eſt. Vomitus neutri perpetuus in hoc utique frequentior et ſaevientior quam in illo eſt. Alterum, ut ante dictum eſt, ſub dextro hypochondrio extrinſecus ſe oſtendit et raro ultra cartilaginem enſiformem decurrit. Alter

ter in epigaſtrio apparet ad ſiniſtrum hypochondrion inclinatus. Haec hepatitidis ſpecies minus febris, arteriarum pulſus molliores, quam reliquae, habet. In gaſtritide omnia contraria ſunt; febris gravior, pulſus celeriores et preſſiores, poſtremò omnia ſigna vehementiora fiunt.

Causae

COMMUNES inflammationis cauſae hanc quoque facere poſſunt. Habitus ſanguineus bilioſus aut adipoſus frequentiſſima eſt. Si particulae rubrae plures quam pro reliquis ſanguinem conſtituentibus ſunt, omneſque humores, ratione firmarum partium habita, ita abundant ut totum corpus nimia ſanguinis ſinceri copia turgeſcat; leviſſimus quiſque caſus inflammationem inferet. Quod ubi fit; ſi vel vehementiorem exercitationem homo ſubiit vel perſpiratio impedita eſt, humores protinus citabuntur, citati calorem augebunt; quo aucto, ipſi rariores fient et blandiores partes, ſic circumacti et rarefacti, omni temporis puncto amittent. Itaque cor et arteriae humores parum incitare et propellere quibunt. Horum acris natura et aucta copia ad frequentiores et validiores

validiores contractiones univerſa vaſa concitabunt. Quocirca ut inflammentur vel obfarciantur vaſa neceſſe eſt.

Verum, licet inflammationis communis natura intellectu ſit facilior, cur tamen hoc viſcus quam illud magis eâ periclitetur, difficilius animo conceptu eſt. Dicique ſolum poteſt, ſi quod ex prioribus vitiis viſcus infirmius eſt, idem novis malis et inter alia inflammationi magis patere.

atrabiliarius ſanguis.

Is ſanguinis ſtatus qui ab antiquis atrabiliarius audiit, ubi tenuiora et mobiliora deceſſerunt et craſſiora reliqua per vaſorum minimorum anguſtias minus meare queunt, pro impediti et inflammati jecoris cauſa habetur, nec ut mihi videtur immerito; ſiquidem hoc genus humoris ad hypochondriaca vaſa prae caeteris fertur et viſcerum chylopoeticorum actiones turbat: horum omnium venoſo ſanguine venam portarum petente et per jecur deinde ubique diffluente; hoc pati et prae caeteris, inflammmatione affici neceſſe eſt. Sed et ipſa

ipſa bilis vel nimia copia ſecreta, vel acrior reddita idem poteſt efficere.

Omentum pinguedine turgens vicina viſcera premendo nocere, et inter alias noxas jecur inflammare certum eſt. Idem ad hoc multo erit efficacius, ſi nimio corporis motu vel acutis febribus moveri, liqueſcere et per venas epiploicas in venam portarum delata jecur inundare ſtagnans pinguedo coeperit. Hoc vero liquefacti omenti iter eſſe manifeſtum eſt; et, quia nullum vas excernens proprium habet, et, quia venae epiploicae quibus accipitur ad hepar recta ducunt. Itaque hic oleoſus liquor ob tenacem ejus naturam per ultima jecoris vaſa difficillime tranſit et peſſime omnia obſarcit. Idcirco hanc hepatitidis cauſam eſſe inter omnes convenit.

omentum pingueſcens

Ejus ſanguinis partis ex qua bilis ſecernitur quaedam acris natura frequentiſſima hepatitidis cauſa eſſe videtur, praecipue in regionibus calidis; id quod morbi bilioſi illic ſaepiſſime incidentes et ipſa hepatitis probant.

acris ſanguinis natura

Si bilis in ductu cyſtico ſtagnando vel ardoribus aeſtivis aut exercitatione vehemente acris reddita, ad jecur praeter naturam retro redit, ea jecur inflammare periclitatur; ut in febribus bilioſis autumnalibus fieri aliquando videmus.

bilis rejecta

Calculosa concreta in veſica fellea aut ductu bilifero ſaepiſſime, in interiore jecore rariſſime inveniuntur. Ea igitur irritando jecur inflammare et praeter inflammationem, vaſa bilem excernentia occludendo, icterum creare poſſunt.

calculoſa concreta

Vehementes animi perturbationes quarum praecipuae ſubitus terror aut ſumma triſtitia videntur cum alia mala tum hepatitida faciunt. Qui ſic animo afficiuntur iis vultus palleſcit, gravis circa praecordia anxietas ſentitur, ſimul urinae limpidae magna ſaepe copia effertur, pulſus arteriarum parvi, languidi et tardi reperiuntur. Urina autem limpida ſanguinem relictum craſſiorem eſſe ſignificat, eundemque aliquorum abdominis viſcerum vaſa impedire veriſimile eſt. Jecoris vero vaſa prae caeteris laborare tardior in iis, quam in reliquis, ſanguinis motus docet.

animi perturbationes.

Porro

Porro maximi vomendi motus ad inflammandum jecur poſſunt. Septo enim tranſverſo inter vomendum ſubito et magna vi deorſum tracto, et muſculis abdominis omnia intus viſcera et ante omnia ventriculum arcte comprimentibus, ſanguis per abdominis venas citatur et per venam portarum in jecur valido impetu ruit. Quod ſi prioribus morbis jecur ſimul labefactum eſt aut humores ſic impulſi tenace ſunt natura, inflammationem naſci neceſſe eſt. vomitus

Eandem frigida aqua vel epota vel jecori extrinſecus admota quoque gignet; eoque magis, quo corpus magis calleſcit. Frigus aeſtuante ventriculo receptum ad eam jecoris partem ubi hoc ventriculo contiguum eſt protinus permanat. Idem extrinſecus admotum per patentia calore cutis foramina recta eòdem deſcendit, et in utrolibet caſu vaſa ſubito et vehementer conſtringit. Hinc ſanguinis motus impeditur ideoque jecur inflammari incipit. frigida aqua

Multi alii caſus ad hunc morbum faciendum valere dicuntur, qualia ſunt, alia,

materies morborum critica ſive ex toto corpore ſive a partibus ad jecur tranſlata, vulnera, venena et concreta in venae portarum ramis innaſcentia. Quarum cauſarum, cum et rariores ſint et ex ſupra memoratis facile pateant, praetereunda mihi ratio videtur.

Prognoſis.

HEPATITIS mature et rite curata non multum habet periculi. Eadem ab initio neglecta aut male curata in jecoris mortem, ſaepius in ſuppurationem aut durum tumorem deſinit; et hominem vel paucis diebus jugulat, vel eam malorum ſeriem trahit quae miſeram vitam paulo ſerius abrumpat. Felicior morbi finis eſt inflammatio per excretionem judicatoriam vel manifeſtam vel occultiorem naturâ benignâ ſoluta. Suppurationem quoque aliquando ſed rarius externus tumor terminat. Verum ſic quoque eventus incertus eſt. Longe ſaepius fit ut corruptis ejus tunicis materia puris in cavum abdomen aut per ductus biliferos in inteſtina cava profundatur, vel extremis venae cavae propaginibus eroſis aut venis lymphaticis abrepta cum ſanguine denique miſceatur. Horum primum fere ſemper perniciem;

ciem, reliqua raro ſalutem adferunt. Exiguae jecoris partis inflammatio nec ullis naturalium actionum peccatis aut medicamentorum ſtimulo irritata totos annos tolerari poteſt. Saepiſſime hydropa vel alia longa vitia vel cancrum denique gignit. Febris vehemens; conſtans ſingultus; vomitus violentus nec ulli medicinae cedens; ſitis immodica; inaequales, vacillantes et intermittentes arteriarum pulſus; ſubitum extremorum frigus, ſentito intra praecordia ardore, perniciem et mortem jecoris inſtare ſignificant. Contra ſi praecipua mala remediis facile parent, ſi ante quartum diem febris et ſitis minuuntur, et excretio judicatoria vel univerſo corpore ſudor reſolvens ante ſeptimum apparent; ſi cum dolore anxietas multum miteſcunt et ſomnus crebrior hominem reficit; inflammationem, quod ante omnia eſt optandum reſolutum iri ſperandum eſt.

Deſcriptio cadaveris hepatitici a MONROIO *filio tradita.*

OBSERVATIONES quaſdam de hominis ſuppuratione hepatis extincti cadavere a praeclaro noſtro praeceptore MONROIO filio factas et ſuperiore hieme palam demonſtratas, quaſque

quaſque ille mecum communicavit, ſupra dictis adjicere lubet; eoque magis, quod viae variae quibus ſe natura expedire conetur inde plane pateant. Ipſius vero verba uſurpabo. "Abſeſſus, qui pugnum capere "potuiſſet, pus flavo-fuſcum graveolens te"nens, in hepatis lobo ſiniſtro, ad partem "ejus mediam inferiorem concavam, inven"tus eſt; atque ibi hepar ventriculi lateri ſu"periori anteriori, ſub cardia, accurate gluti"natum eſt, non ſine inſigni tunicarum hujus "externarum vitio.——Ad partem abſeſſûs "infimam, via in abdominis cavum puri pa"tebat, per quam in pelvim pus pondere "ſuo decidens, ibique mora acrius adhuc "deveniens, foramen, quod pollicem facile "admiſit, ſibi in inteſtini recti cavum ad "partem hujus anticam, pone urinae veſicam "aperuiſſe inventum eſt.——In duodeno a"perto pus ſimile, cibis commixtum cerne"batur. Aër nunc, dein cera liquefacta, in "ductus biliarios, et etiam in venam porta"rum, in artercam hepaticam et in venae ca"vae ramos hepaticos infuſa, in abſeſſum, oſtiis "conſpicuis, vaſorum nempe horum omni"um ramis exeſis, depluebat. Denique

" binae glandulae lymphaticae venae porta-
" rum in ſinu hepatis adhaerentes, paululum
" tumefactae et induratae conſpiciebantur.

" Omnes igitur modos, quibus ſe puris
" in inferiore concava hepatis regione facti
" onere ſe levare poteſt natura, in hoc homine
" affectaverat. Dum enim per oſtia ſua
" naturalia, atque etiam fortaſſe per ramos
" eroſos, partem quandem puris abriperent
" venae lymphaticae valvulae abſorbentes,
" uti ex glandulis lymphaticis tumidis conſta-
" bat; pars altera fortaſſe, per venas cavas
" hepaticas eroſas, rectiore adhuc et breviore
" via, cor attigit. Ita univerſus ſanguis vi-
" tium contraxit. Alia puris portio, per ero-
" ſos ductus biliarios, quod contingere poſſe
" poſuerunt auctores, revera in duodenum
" viam ſibi fecerat.

" Dein per inflammationem hepar ventri-
" culo accurate glutinatum eſt, et hujus
" tunicas pus vitiaverat, ut, ſi diutius vixiſſet
" homo, non dubitandum, quin per has in
" ventriculi cavum penetraſſet. Denique,
" diſrupto abſceſſu, pus in cavum abdominis
" profuſum

" profuſum eſt. Atque puris pondere deci-
" dentis per inteſtinum rectum exeſum, effu-
" gium, quo hujuſmodi malum multo mi-
" nus pernicioſum fieri debet, attentione
" omnino dignum eſt; quum huic homini
" proprium non ſit, ſed felice in hominis cor-
" pere extremi inteſtini poſitu, humores qui-
" cunque in abdominis cavo fluitantes in id
" decident, perque id, ſi acres ſunt, exeſum,
" et facillime et tutiſſime ex corpore ela-
" bentur.

" His ſubjicere liceat, inteſtinum duode-
" num atque colon, aeque ac ventriculus,
" cum hepate in regione ſua concava inflam-
" mata concreſcere poſſe; et, ſi marginem infe-
" riorem anteriorem, atque convexam ſuperi-
" orem hepatis partem occupat abſceſſus, pus
" viam ſibi aperire poſſe vel extrorſum, quod
" ſaepe accidit, vel ſurſum per diaphragma
" et pulmones, quod rariſſimum eſt. Illius ex-
" emplum, quod feliciter eſſet, quamvis
" plures puris librae eductae ſunt, ante duo-
" decem circiter annos, in Noſocomio regio
" vidi; hujus hiſtoriam a viro claro fatis
" functo D. Simpson accepi."

Ratio

Ratio Medendi.

IN omni inflammatione curanda communia quaedam ſervanda ſunt. Neque multum intereſt cujus partis aut viſceris inflammatio curetur; modo nullius actio aliqua aut ſecretio propria propriam quoque curam quodammodo requirant.

HEPATIDI autem commune eſt ut ſanguinis impetus reprimatur, vaſorum conſtrictio ſolvatur, et urgentia mala, ſi qua ſunt, quam primum leventur. Curatio triplex

UT ad primam partem redeam; nulla inflammatio eſt ubi pulſus arteriarum minus quam in hac ſignificant; nulla quam ſanguinis detractio minus levat. Neque tamen ab initio morbi ſanguis non detrahendus eſt; etiamſi pulſus et alia inflammatum aliquid indicantia minus certum, quam aliis inflammatis viſceribus ſolent, diſcrimen dare videantur. Nec quicquam obſtat, modo affectionum gravitas ſanguine mittendo.

exigat, quo minus et magna copia et ſaepius ſanguis mittatur. Verum in hac ſicut in omni alia corpus attenuandi ratione, perpetuum illud praeceptum ſpectandum eſt, "ne "quid fiat quo vitae robur ita debilitetur et "frangatur, ut hoc conatus ad ſalutem ne- "ceſſarios parum excitare valeat."

Ut inflammatio reſoluta finiatur praecipuum eſt conſilium. Sed media via medendi ita teneatur ne, morbo ad ſuppurationem aut partis laborantis exitium tendente atque ſaeviente, natura opprimatur, neve in innumera vitia longa durum et pertinacem tumorem ſemper ſubſequentia incidat. In omnibus morbis acutis incipientibus purgare primas vias perpetuum eſt: hujus vero ſedi

alvo purganda.

cum finitima inteſtina tum experientia multiplex alvum potiſſimum purgandam docent. Burhavius "diarrhaea," inquit, "pro materie "habet, mucum, lympham, gluten, pus, "ſaniem, ſanguinem, narium, oris, faucium, "oeſophagi, ventriculi, hepatis, veſicae fel- "leae, pancreatis, inteſtinorum, meſenterii."

Soluta

Soluta igitur alvus, ad ſanguinis in jecore impetum reprimendum, ad vaſa infarcta patefacienda, denique ad humores in membrana adipoſa ſtagnantes, id quod omnes inflammationes majores ſequi vulgo creditur, in propria vaſa reſtituendos, omnium excretionum maxime eſt efficax. Quocirca alvus, ſanguine jam ante miſſo, et protinus ab initio et poſtea ſubinde leniter purgetur; donec viſceris laborantis magnitudo et reliqua ſigna decreſcentia naturam ſalutari judicatione aut reſolutione reliquum opus poſſe perficere oſtendant.

Altera curationis pars poſtulat

Quod ad alteram curationis diviſionem attinet, nihil liquoribus per alvum immiſſis, fomentis et veſicatoriis felicius vaſa conſtricta ſolvit.

per alvum immiſſa,

Liquores per alvum immiſſi, ima inteſtina abſtergendo et purgantia ore accepta adjuvando; partem aegram, per medium colon illi vicinum, fovendo; poſtremo ſanguinem, quod inflammatum habitum corrigat, diluendo, proſunt.

Praeterea aquâ calidâ in qua calida
fomenta quoque aromata decocta ſunt jecoris regionem fovere non inutile eſt.

Sed ante omnia ad ſalutem veſicatoria
veſicatoria. conferunt. Horum uſus pleuritidi cum hepatitide communis eſt. Cujus rei rationem explicatu difficilem non meum eſt adgredi: ſiquidem etiam peritiſſimi medici eam rationibus explicare parum auſi, propriae experientiae aut alienis de ejus utilitate teſtimoniis credere ſatis habent.

Remedia primae curationis parti reſpondere dicta, ſecundae quoque quodam modo reſpondent. Sed alia inſuper auxilio ſunt, ſive ea humores ſolvere ſive in fibras firmas agere credantur, quae, ſanguinis circa totum corpus motum aequaliorem reddendo, inflammatum habitum minuunt; vel cum ſanguine ad partem ipſam affectam circumducta illic inflammationem ſolvunt.
ſales neutros, Huc ſales neutri prae caeteris nitrum et antimoniales conveniunt. Hi igitur temporum intervallis quibus

pur-

purgantia non adminiſtrantur, ea copia quam ventriculus ferat interponantur. Iidem ſpaſmos reſolvunt, excretiones maximè quae per cutem et ureteres fiunt augent adeoque morbi vim infirmant. Varias horum remediorum formas percurrere hujus chartae naturae alienum eſt. Et vix fieri poteſt ut omnibus rerum et hominum caſibus medicinae formae accommodatae apteque reſpondentes, ab eo qui totam morbi naturam complectitur, fingantur. Prout enim aegrotantis ſtatus variet, ut conjungendi et componendi ratio mille modis mutetur, opportebit. Si alvus purgantibus ſoluta, ſignis paulatim levatis, ſalutem promittit, ei excretioni credere melius eſt quam illa adhibere quae alias augendo, hanc magis neceſſariam minuunt. Sed remedia ſalina modo memorata, nullo ſudore profuſo, magnopere habitum mutare poſſunt. Adhibeantur quoque ex farinae natura parata diluentia; item ſerum lactis et juſculum in quo pulli decocti ſunt, commodi multum habent. Ea enim ſales memoratos optime per corpus diffundunt, tenuiorem humorum partem amiſſam

ex farinae, lactis et juſculi natura diluentia.

miſſam ſupplent et vaſa univerſa inſuper reſolvunt.

In tertia curandi parte,

Absolutis quae ad primam et ſecundam curationis partes pertinent; ad eam quae tertio loco urgentia mala levandi rationem exponit tranſibo.

nauſea et vomitus requirunt

Hic morbus pauca habet quae propriam curationem requirant. Nauſea vero et vomitus, cum jecur aſſiduè et vehementer agitando inflammationem augeant, quam primum ſedari debent.

Riverii neutram mixturam et cataplaſmata;

Huic conſilio mixtura Riverii neutra maximè inter effervefcendum, foſſilia acida aut ex plantarum genere parata; aromatica grata diluta exiguis potionibus ſumpta reſpondent. Cataplaſmata roborantia ventriculo ſuperimpoſita ſaepenumero proſunt. Ubi ex acri bile ortus eſt vomitus, una vel altera tepidi diluentis liquoris potione ventriculus prius abluatur; dein medicamenta

camenta modo dicta adjiciantur. Sed hoc malum, ſanguine jam detracto, alvoque purgantibus ſoluta, plerumque miteſcit, niſi ex ipſius forte ventriculi, quae hepatitida aliquando comitatur, inflammatione natum ſit.

Sitim, diluentia modo praecepta acidumque ex herbarum genere expreſſum, extinguunt. Neque haec quidem ſemper moleſta eſt, niſi magna inflammatio et febris magna exiſtit.

ſitis diluentia et acidum vegetabile,

Singultus plerumque periculoſus ſi ab inflammato ſepto tranſverſo ortus eſt, omnia quae inflammationem eum quoque ſolvunt: ſi verò a vitae robore deficiente aut morte jecoris incipiente originem traxit, metuendum futurum eſt. Sed quoniam hoc interdum non compertum habetur, moſchus, alkali volatile et Cortex Peruvianus in incerta re tententur.

ſingultus antiphlogiſtica

aut forſan et Corticem Peruvianum.

Quoniam in morbis acutis ventriculi robur

bur multùm imminutum et inflammantium natura ad illos accedens inediam requirunt, ipſe autem morbus intra paucos dies abſolvitur; potiones quibus in curatione opus eſt datis, ad ſuſtinendum aegrotantem ſufficiunt.

Cibus niſi in imbecillitate vitetur.

Cibis abſtineatur. Verum ſi imbecillitas aut morbi mora ciborum opem poſcunt, durior iſte leviorque panis qui Anglice "biſcuit" audit, panada ſaccharo dulcis et ſucco lemoniorum aut etiam vini paululo grata reddita, aptiſſima ſunt. Caro quia calefaciente ac putrefaciente natura eſt vitetur.

Sed hic morbus alium finem, praeter reſolutionem, duplicem habet; ſuppurationem et durum tumorem.

Suppurationem eſſe futuram ſigna inflammationis per triduum atque ultra manentia, dolor ardens et febris acuta, nihil dum reſolutum, nihil cocti excretione quaquam rejectum, praedicunt; mox eadem omnia paululum remiſſa, febris et doloris acumen quodammodo ſopitum, poſtremo in horum

rum locum ſubeuntes horrores vagi, cum pulſatione, eandem jam inceptam indicant.

In his rebus uſus et ſitus jecoris vix ullam ſalutis ſpem relinquunt. Si ante inflammatio magnam jecoris partem tenuit et nunc illi ſuperſtes ſuppuratio tenet; tunicae pus continentes vel rumpentur et in cavum abdomen id projicient; idemve lymphaticis aut venae cavae ramis eroſis acceptum, ſanguinem totum corrumpet. In utrolibet caſu tabe homini pereundum eſt; niſi fortè materies ſanguine accepta ad renes iens, aut per ductus biliferi ramos tranſiens aliquam utique miſellam ſpem relinquat. Si illud factum eſt, urinam promoveri et totum corpus intereà ſuſtineri et corrigi; ſi hoc, inteſtinorum tractum leniter purgari convenit.

Suppuratio immedicabilis,

praeter ſpem miſellam.

Quod ſi ad exteriora magis tumor ſuppuratus inclinavit, ſi, procedente adhuc morbo, jecur Peritonaeo adhaeſerat, ſola ſalus in incidendo et materiem manu educendo conſiſtit.

Durus tumor recens ſpem habet; vetuſtus immedicabilis erit.

Durus tumor, ut dictum eſt, inflammatum quoque jecur ſubſequitur. Quem recentem, et exiguam jecoris partem tenentem, aqua chalybeata, plantae diſſolventes decoctae, ex ſapone parata, et leniter alvum purgantia, mollire et forſitan ex toto diſſolvere poſſunt. Idem vetuſtus et per amplius jecoris ſpatium ſerpens inſanabilis eſt.

Mors jecoris deſperatur.

Ut quaevis alia, ita jecoris inflammatio in mortem ſibi propriam aliquando deſinit. Haec vero nunquam non hominis quoque exitium trahit. Id quod ſitus et neceſſitas partis hic mortuae veriſimillimum reddit. Mortuo jecore, proprio fato miſer relinquendus eſt; cujus tamen rei niſi certus medens eſt, cortex Peruvianus et alia roborantia incerta ſpe tententur.

Boerhaavius et ejus interpres Van Swietenius icterum cum hepatitide conjunxerunt. Nobis verò diſcreti morbi videntur; et ſiquando conjunguntur, huic jam veteranti

teranti et bilis excretionem turbanti, illum ſerius ſupervenire credimus. Quod ſi, provecta tantummodò hepatitide, icterus apparet; eadem quae durum jecoris tumorem diſſolvere dicta ſunt, ad tollendum illum forſitan valebunt.

Hiſtoria hepatitidis per populum Borroſtonenſem graſſatae atque a JACOBO SMITH *Medicinae Doctore ibidemque medico traditae.*

HAEC ſunt quae de jecoris inflammatione eo qui mihi optimus viſus eſt ordine ex ſcriptis potui colligere. Quoniam autem ii qui ſummos medicinae honores petunt, ipſi plerique in uſu hujus parum verſati, graviſſimâ quaque auctoritate, neceſſariò propria dicta muniunt; idcircò hiſtoriam hepatitidis per populum nobis vicinum municipes Borroſtonenſes nuper graſſatae, ad ſupra memorata attexere, haud abs re fore putavi.

HANC hiſtoriam, patruus meus, vir honeſtiſſimus et ingenioſiſſimus, JACOBUS

Smith medicus Borroſtonenſis, mihi narravit. Is arte et prudentia inſignis, dum aſſidua naturam diligentia inveſtigaret et ſumma cum cura omnes motus, omnes ejus conatus obſervaret, hos reprimendo, illos adjuvando, utroſque regendo, feliciſſimè morbum curavit.

Hic morbus anno MDCCLVI primum apparuit, et ad annum MDCCLVIII cum ſaevitie tum frequentia increvit. Quo tempore perque annos MDCCLIX et MDCCLX viguit et prope per univerſum populum graſſatus eſt. Annoque MDCCLXIII tandem deſiit. Plerumque a rigore, frigoris ſenſu et horrore incipiebat. Quorum longior vel brevior mora et major minorve vehementia, futurorum malorum vim et diuturnitatem praenunciabant. Illa deinde proxime calor febrilis moleſtior quam ardentior excipiebat. Arteriarum pulſus primo quoque tempore naturalem modum non excedebant. Gravitatis cum obſcuro dolore in dextro hypochondrio ſenſui tumor paulatim ſuccreſcens ſuccedebat. Hic in multis cum ad ſummum magnitudinis perveniſſet ſatis eminebat.

bat. Idem in aliis niſi attentius inſpectus non apparebat. Vertigo, maxime, homine ſurgere aut diutius ſe erectum tenere conato, mature ſe oſtendebat et conſtans totius deinde morbi nota manebat. Hanc incipientem vigilia, nauſea et vomitus mox ſubſequebantur. Ventriculus mucoſa et ſordida quaedam ſaepiſſimè, raro bilioſa rejiciebat. Alvus plerumque dura; urina parca et colorata erant; cutis areſcebat; ſitis initio mediocris erat. Lingua molleſcebat, candeſcebat et humeſcebat ad decimum quartum diem: poſt quem eadem cum aſperitate dureſcebat. Oculi prominebant et leviter inflammabantur; quorum tunica albuginea ſubfuſca flaveſcebat; quem colorem vultus quoque referebat.

Haec morbum fere comitari ſolebant. Quae tamen pro variis ejus temporibus augebantur, minuebantur et mutabantur. Nulla ordinis aut magnitudinis morbi aequalitas erat; dum aetas, ſexus et aliorum corporum alia natura eam affectionum varietatem quae fieri in morbis acutis ſolet efficiebant.

Morbi vero naturam hae obſervationes illuſtrabunt.

illuſtrabunt. Scrobiculus cordis intumeſcens et capitis vertigo propria ei erant. Tumor ſemper pro praecedentis frigoris magnitudine increſcebat: ſcilicet quo gravius hoc et diuturnius erat, eo ille major erat futurus. Imbecillitas corporis et capitis vertigo pro ratione eſſe inter ſe obſervabantur. Item pro doloris, qui interdum durior, tentior et ſimul dolentior erat, ad dextrum hypochondrion pabat et abdomen cum anxietate inflabat, graviore natura, ita majus periculum inſtabat. Porro nauſea et vomitus reliquas affectiones et periculum augebant. Alvi durities non conſtans nota ſed ſemper ubi incidebat periculoſa reperiebatur. Decreſcente tumore reliqua mala pari quaſi gradu miteſcebant; vertigine excepta quae convaleſcente jam homine aliqua ex parte perſtabat. Sudor circa initia raro proderat. Idem, cute ardente punctionum ſenſum repraeſentante, et nubecula urinae ſupernatante, delirium praedicebat.

Neque haec non frequentia erant, inaequales et intermittentes arteriarum pulſus, craſſa cruda et lutulenta urina ſine ſedimento,

to, anxietas, lingua flaveſcens fuſca dureſcens, oculi rubri, flavi, erecti et invito homine lacrimae interfuſae; poſtremo floccos carpendi conſuetudo. Omnibus anni temporibus, firmi et infirmi, graciles et pleni, nullo diſcrimine morbo patebant.

Hoc morbo primum apparente, ſanguinis miſſi periculum fiebat. Sed paucis plenioribus demptis, pulſus ſemper numero decreſcebant. Vomitum excitantia hoc tempore quoque tentata, omnes affectiones aſperiores reddebant, animae defectus inferebant et periculum augebant. Nec chamomelum infuſum aegri ferebant. Siquando quae ſupra purgare debuerant infra purgabant, laborantes levabantur. Itaque medens alvum purgantium ſic admonitus ea proſpere poſtea inculcavit.

Liquoribus, quae ſtercus durum recto et colo ſolutum educerent, prius per alvum immiſſis, hanc purgatura medicina ex ſale Glauberiano et ſenna compoſita ore dabatur. Eadem, cum alvus bis terve fuſa eſſet, iterum ingerebatur. Ac per nonnullos dies hac

ratione

ratione et ordine ſervatis, alvus ſoluta continuabatur donec tumor ſupra cordis ſcrobiculum diſſolveretur. Semperque cavebatur nequo tempore ſex horas continuas alvus nihil redderet. Pari modo imbecilliores et robuſtiores curabantur. Ubi illorum arteriae poſt purgationem debilius vibrabant, et capita quaſi vertigine magis circum agebantur et anima deficiebat, circiter drachmae dimidium ſpiritûs cornu cervi, anima deficiente, ſemper ita dabatur, ut XXIV horarum ſpatio uncia tota conſumpta ſit. Spiritus hominem dejectionibus exhauſtum non modo ſuſtentabat ſed aequalem quoque perſpirationem ſervabat. Aliquando hujus loco mindereri ſpiritus, ſiti ardente, praebebatur. Atque etiam ſi nulla ſitis potionibus opus eſſe indicaret, tamen ex farinae genere decocta liberius bibere, et fructus aeſtivos modice vel inde parata comedere aegrotantes jubebantur. Nec praeter haec et uvas corinthiacas gelatas cibus ullus praecipiebatur. Spiritum cornu cervini recuſantibus emulſio camphorata ſuggerebatur, quae caſtoreo in bolos conformato potior videbatur. Caput ut ejus dolori occurreretur initio radi ſemper ſolebat. Delirare

lirare incipientes, calidae mappae, item calido oxicrato immerſae et ad abdomen preſſae levabant. Veſicatoria impoſita nunquam juvabant. Nonnullos ſtranguria et urina ſanguinea, unum tumor eryſipelatodes toto corpore diffuſus exercebant. Quae mala nec non capitis dolorem et febrem diuturnior apozematis purgantis uſus tollebat. Ubi tumori ſuper cordis ſcrobiculo decreſcenti vel evaneſcenti affectiones febriles ſupererant, apozema molliens cum emulſione camphorata, vel mindereri ſpiritus uſque dabantur. Sed juſculum bovinum tenue vel etiam vini meracis circiter ſinguli in vicenas et quaternas horas uteres aegrotantibus in cibum nunc permittebantur. Emulſio et apozema, homine jam in lecto aſſidere incipiente, ommittebantur. Et cortex primum decoctus dein ſiccus cum rheo conjunctus ſic adminiſtrabatur, ut, quod ad ſalutem erat neceſſarium, alvus mollis ſervaretur.

Haec purgandi inteſtina prope aſſidua ratio adeo non robur minuebat; ut, dummodo aegrotans rite ſuſtentaretur, illud potius augeretur. Ac ne diutius quidem pur-

gatione opus erat, quoties ab initio medentis opera adhibita eſt. Medicina enim purgans quinquies vel ſexies data morbum ſanabat. Contra qui ſine auxilio aliquot dies fuerant, morbo ſic multum provecto et firmato, ii ſine longinquiore et continuato alvum purgantium uſu nunquam extra periculum erant.

Patruus meus, ſpiritum cornu cervini ne larga quidem copia datum, calorem febrilem augere; ſed e contrario ſanguinis motum aequalem ſervare et purgantia ad morbum tollendum multum adjuvare, obſervavit. Idem, adeo hoc curandi genus felix fuiſſe, ut e ducentis ſuae curae creditis, quatuor ſoli perierint; et hos ipſos ante ſe accerſitum vel inſanabiles viſos eſſe vel pertinaciter omnem medicinam reſpuiſſe, teſtatur.

F I N I S.